



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Nulli monacho non sacerdoti, vel laico quantumlibet erudito prædicare
permittitur. clviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

cere, vt castè & purè uiuant sub Dei timorè, vt dum eos talis professio alligat, vitæ sanctæ disciplinam retineant.

Nulli monacho non sacerdoti, vel laico, quantumlibet sint eruditi, licet prædicare. Cap. CLVIII.

DE his verò quæ in sæpe dicto concilio illicita contra venerandos Nicænos canones præsumptione tentata sunt, ad fratrem & coëpiscopum nostrum Antiochenæ sedis præfulem scripsimus: adiicientes & illud, quod nobis propter improbitatem monachorum quorundam religionis vestræ verbo mandastis per vicarios nostros, & hoc specialiter statuentes, vt præter Dei sacerdotes nullus audeat prædicare seu monachus, siue ille laicus, qui cuiuslibet scientiæ nomine gloriatur.

Vi parochiarum clerici ab episcopis suis canones discant.

Caput CLIX.

VT parochiarum clerici à pontificibus suis necessaria sibi statuta canonum legenda percipiant, ne rei ipsi vel populi quæ per salutem eorum decreta sunt, excusent se postmodum ignorasse.

Quod nulli sacerdotum canones liceat ignorare.

Caput CLX.

Celestinus vniuersis episcopis per Apuleiam & Calabriam constitutis. Nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitulentia populis permessa frangatur?

De presbyteris parochialibus cum conuenerint vt se inebriare non audeant. Cap. CLXI.

VT nullus presbyterorum, quando ad anniuersarium diem, XXX. aut VII. vel III. alicuius defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam presbyteri conuenerint se inebriare nullatenus præsumat, nec præsumat precari in amore sanctorum, vel ipsius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena preceatione ingurgitare, nec plausus & risus incòditos, & fabulas inanes ibi referre, aut cantare præsumat, vel turpia ioca, vel vrsò, vel